

## ASIAE TERTIA PARS.


bus, progenitum & linguarum varietate. Vbi verò in excelsissimam surgit sublimitatem, dicitur Caucasus: quanquam sunt qui Taurum à Caucaso diuidant. Est etidem mons in India Gangem flu. ac alio in loco Indum flu. vbi tam altus esse perhibetur, vt perpetuò nūe candeat, hoc autem altitudinis culmen, perpetuo tenore conseruat: nisi quod Eufrati & Tigridi, qui in Armenia oriuntur, vix transitum per conualles cōcedit. India Orientalis regio tam vasta perhibetur, vt eam tertiam omnium terrarum parte in tradat. Pomponius tantum litoris occupare scribit, quantum per quadraginta dies noctesque velificantibus cursus est. Habet gentes multas, & oppidis adeò eit exulta, vt quidā in ea quinque millia fuisse dicāt: nec mirum sit vel de honiūnum, vel de vrbiū copia, cum soli Indi à suo natali solo nunquam recesserint. Terra Fauonij spiritu saluberrima, in anno bis metit fruges, vice hyemis ethesias patitur ventos. N irdum fert Australis ora, fert & Cinnamomum, piper, & calamum aromaticum, vt Arabia & AEthiopia. Ebenum arborem sola producit. Psittacum autem, & monoceron bestiam habet. Abundat berillis, chrysoprasis, adamantibus, carbunculis, margaritis & gemmis multis. Binæ illic æstates, lenis aura, temperatum cœlum, vbertas Soli, aquarum abundantia. Centum ob id & triginta annorum æcum quidam agunt, præsertim Musitani, Seribus vita aliquanto longior. Maxima in ea regione gignuntur animalia. Arbores etiam tantæ proceritatis traduntur, vt sagittis superari nequeant. Hæc facit vbertas Soli, tempérées cœli, aquarum abundantia. Arundines tantæ proceritatis, vt singula internodia alueo nauigabili ternos interdum homines ferant. Fert quoque Indorum terra piper, cinnamomū, & alia aromata, solaque producit & benum arborem, estque lignum nigrum, solidum, pulchrum, & captum ocularibus medicinis. Hæc arbor cæsa durescit in lapidem. Piper verò crescit in Caucaso monte, maximè eo loco, vbi mons flebitur in Meridiem. Tradunt quidam ipsum eo modo crescere, sicut in terris nostris Iuniperi solent crescere. Foditum etiam in India aurum & argentum, sed nullum ferrum. Scribit Plinius, omnia maiora nasci in Indorum regione, quam in alijs terris, homines, animalia & arbores. Zinziber crescit in vrbe Calecuth, sed plurimum quoque ex Canonor illuc affertur. Cinnamomum mittit insula Zailon, quæ est 50. milliaribus Germanicis vltra Calecuth, in Oriente. Piper crescit in vrbe Calecuth, sed multo plus illuc portatur ex Corimucol, quæ est ad 12. millaria vltra Calecuth. Gariophilli colliguntur in loco qui Meluza appellatur, distante aliquot milliaribus a Calecuth. Nuces myristicæ seu muscatæ & Macis crescunt in Molucha, loco qui à Calecuthio abest sesquicentum & amplius milliaribus. Muscus & Castoreum ex regione Pegu aduehuntur, quæ distat Calecuthio centum & quinquaginta milliaribus. Margaritæ seu vniornes maiores leguntur prope insulam & ciuitatem Ormus, sitam in sinu Persico, trāmittunturq; ad Calecuth ceu ad generale emporiū totius Orientis. Spica Nardi & Myrobalani ex Cambaia in Calecuth portantur. Casia crescit in agro Calecuth. Thus & Myrrham suppeditat Arabia, Aloë & Camphora ex Kyuy seu Chiua, loco quinquaginta milliaribus ab Calecuthio distante, adferuntur. Piper longum ex Samator aduehitur. Cardamomū maius mittit Canonor. Præfilium verò ex Tarnasseri regione adportatur, ducentis ferè milliaribus à Calecuth. Habet insuper & Zailon insula montem vastissimæ lōgitudinis, ad cuius radices Pyropi, vulgò Rubiui, inueniuntur, nec non & Hyacinthi, Saphyri, Topazij, & id genus lapides complures. Laccam etiam Sandalium, Præfilium, Gospium & Sericum Pego regio suppeditat. Animalia Indorum multa variaque sunt, & pleraque magnitudinis insolitæ, inter quæ Elephanti tam frequentes sunt, vt illis agri colātur, atque necessaria quæque ex rure domum vehātur. Hi partim cicures ac domestici, partim indomiti ferique, at facile cicurantur, ac dociles, manuetique redduntur. Habet hi sibi hostem naturalem Draconem, vtraque bestia congenito sibi ac innato alterius odio laborante. Habet præterea India multos horrendos & longos serpentes, & aspides, item alatos scorpiones, verū hominibus non tam infestos quam semicubitalis isti serpentes, qui passim in tugurijs, in vasis & sepibus inueniuntur, lethale vulnus infligentes, quibus tamen ex lege plerisque in locis parcitur, occidisseque capitale est. Sunt & locis nonnullis serpentes bicubitalis alati, in modum vespertilionum, qui noctu solent circumvolare, & vrinæ stillas effundere, quarum contactu infecti scabiosi tabidiisque redduntur. Sunt & Ceraste Cristatiisque serpentes quadrupes, bicipites, tricipitesque. Odontes insuper tricornes furiosum bīfīatum genus. Formicæ præterea traduntur incredibilis magnitudinis. Citat Strabo Megasthenem de his sic scribētem. Apud Dardas, quæ maxima natio est Indorum mōtanorum, collis est trium millium stadiorum ambitu, & sub eo aurifodinæ, quas formicæ custodiunt, vulpibus nō minores, mira celeritate vietū venatione cōparantes. Terrā ac riferam fodunt, vnaque ad ostiū cumulant, quam mercatores clām surripunt, dispositis pariter carnibus, ad morandas pabulo formicas

si fortè animaduerterint. Canes alit India tam feroce ac generosos, vt duo leonem audeant inuadere, & tam mordicus retinere, vt illi nullo pacto se se ab eis eripiendi facultas sit. Simiarum quoque & Cercopithecorum greges innumerí, Emodiorum montium sylvas habitant, quas in aciem instructas Alexandri Magni exercitum olim elusisse, memoriae proditum est. Fertur & Rhinoceros eius regionis immanis belua, ac Elephanto genitus hostis. Est tandem autium alitumq; omnē genus, variumque, ac magna ex parte nostris dissimilia, nobisque in cognita. Fluuijs etiam sua animalia monstraque non desunt, quibusdā perinde, vt Nilus etiam Crocodilos, Hippopotamos, & id genus alias feras alentia, inter quos Ganges similiū beluarum insigniter fœcundus esse fertur. Est Indis omnibus permissa Cæsaries, cultus præcipuus cum gemmis, habitus discrepantissimus: alij laneis, alij lineis peplis vestiūt, pars nudi, pars obscenā tantum amiculati, plurimi etiam flexilibus libris arborū circundati. Niger vulgo corporis color, in materno vtero tales fiunt, seminis dispositione, quales ipsi sunt qui genuere. Genitale semen, vt AEthiopibus nigrum. Statura procera ac valida. In vietu frugales sunt, & à furtis magnopere abstinent. Literas non norunt, sed oninia memoriter administrant, & propter simplicitatem, ac vita parsimoniam, omnia eis prosperè succedunt. Vinum non nisi in sacrificijs bibunt, potum ex oriza conficiunt & hordeo. Cibus magna ex parte oriza sorbilis est. In cultu corporis nimij: nam & aurum gestant, & lapillis ornantur, & sindonem candidissimam induunt, vmbellasque secum portant: nam pulchritudinem excolentes omnia faciunt, quæ ad decorandam faciem pertinent. AEtati senum prærogatiuam nullam tribuunt, nisi prudentia excellant. Multas nuptas habēt, quas à parentibus accipiunt, pari boum emptas, alias obediētiæ gratia, alias prolijs ac voluptatis: & nisi castas esse cogant, fornicari licet. Qui falsus testis deprehenditur, extrenis decurtatur digitorum articulis. Qui membro aliquo quempiam orbauerit, non modò talionis pœnam subit, sed etiam manu truncatur. Quod si quis artifici manū oculum ademerit, capitale est. Regi interdiu dormire non licet. Si qua mulier Regem ebrium occiderit, munus habet vt cum illius successore iungatur. Gens hæc vniuersa in septem olim ordines distributa fuit, quorum primus Philosophorum erat, qui cæteris numero pauciores honore & dignitate apud Reges longè anteibant. Secundus ordo est Agricolaru, qui multitidine superantes cæteros, à bello reliquoque operi liberi, solis agris colendis tempus impertiunt. Tertium ordinem conficiunt omnis generis pastores, neque in ciuitatibus, neque in villis morantes, sed tentoria subeunt, venatui retibusque dediti, vt tutam à feris regionem reddant. Quartus ordo est Artificum. Hi non solum immunes à tributo sunt, sed frumentum insuper à regia percipiunt. Quinto ordine sunt milites, sed numero secundi. Sextus est ordo Ephorum seu superintendentium, quæcunq; obseruata ad Regem deferentiū. Septimo loco existunt, qui publicis consilijs præsunt, numero paucissimi, nobilitate prudentiaque maximè insignes. Has in partes Indiæ politia distributa, haudquaquam licet vnius ordinis viro alterius ordinis vxorem ducere, neque exercitum mutare. Neque enim fas est militē agrum colere, aut philosophari artificem. Sed quia Indorum gentes multæ sunt, forma & lingua propter latissimum regionis tractum diuersæ, nō ijsdem moribus omnes viuunt. Qui enim auroram spectat, alij rei pecuariæ dediti sunt, alij in palustribus locis habitantes, crudis vescuntur piscibus, alij crudis carnibus. Et quoties illorum quispiam, cuiuscunq; sexus in morbū incidit, hunc familiares occidunt, ne tabescens morbo carnes ipsas corrumpant. Et licet ille se ægrotare neget, ipsi nihilominus necant eum, epulanturque. Sic qui incolunt ad senium peruenit, eo itidem mactato vescuntur. Ideoque non multi eorum senectam attingunt. Est aliorum Indorum hæc diuersa consuetudo, vt nullum animans interimant, nihil ferant, nec domos parandas existiment, herba tantum viuent: quorū quisque cùm in morbum incidit, is in locum desertum pergit, ibique decumbit, eius vel decumbentis vel defuncti curam gerente nemine. Horum cōgressus in propatulo est, sicut pecudum. Alijs alij mores institutaque sunt, à quibus recensendis, excludimur chartæ angustia. Sunt autem omnes iam dictæ regiones hoc situ, vt à Meridiano per 109. longit. gradum descripto earum Occidentalior initium sumat in parallelo scilicet 22. graduū, vbi Indi flu. Orientalius ostium Antiboli olim, nunc autem Chatigam vocatum. Orientalior verò earum extendatur ad Meridianum descriptum, per 195. longit. gradum, in parallelo videlicet 50. grad. vbi Palin regionis Quinzai vrbs. Meridionale autē latus parallellus primus qui æquinoctialis est. Circulus limitat iuxta Aureæ Chersonesi extremitatē, quo loco nullo non anni tempore dies perpetuò est horarum 12. Excurrit parallellus est decimus octauus numero, Heterosciorum autem 12. qui vbi dies prolixior horarum 16 $\frac{1}{4}$ . Amphiscios itaque omnes habet &

# PALÆSTINA; VEL TERRA SANCTA.

**H**AEC terra Syriæ pars est, quæ regio quondam capacissima, atque supra modum fertilis, diuesque, multas particulares complectebatur prouincias, Leucosyriam, quæ nunc Cappadocia, Cœlesyriam inter Libanum & Antilibanum montes protensam, Syriam fluuiorum quam Græci eadem ratione Mesopotamiam dicunt, quod inter Euphratem & Tigrim flu. media sit, Assyriam quæ Tigri à Mesopotamia ab alijs regionibus montibus distinguitur vsq; ad Euphratis & Tigris conuentum, Syriam Phœnicum, Damascenā, Comagenam, Apamenam & Palæstinam Syriam, de qua hic sermo. Hæc aliquando à gentilibus populis terra Philistinorum & Chanaan dicta, & ab Hebreis populis Hebræa, idque ab Hebro filio Sale, filij Arphaxad, filij Sem, filij Noë diceretur. Postmodū ab Israële qui & Iacob filio Abrahæ vocabatur, Israëlitarum terra dici cœpit: tandem autem, ab eius filio Iuda vno ex 12. Patriarchis Iudææ nomen sortita est. Eam præ omnibus totius orbis regionibus commendat sacræ literæ, vbi vt plurimum promissionis terra, & terra melle & lacte fluens nuncupatur. Et quod in hac sancti Patriarchæ habitauerūt, in ea etiā Prophetæ Dei oracula sacræ prodiderint, in eadem insuper vnigenitus Dei filius humani generis assertor, humanam assumpserit naturam, nosque homines per Passionem Mortemque suam in ea perpeßam, Patri suo Cœlesti reconciliavit. quod tandem in hac ipsa Apostoli donum consolatoris sancti Spiritus acceperint, non immerito terra sancta appellatur. Hanc Deus Opt. Maximus Abrahamo seminique eius promisit possiden-dam: non quod aduenæ ipsi in ea fuerint, sed quod aliquantis per ipsi extra hanc peregrinantes, postmodum perinde ac Indigenæ eandem repetierint, sacro fœdere Deo iuncti, cuius ductu quotquot interim populi patrum eorum terram irrepserant, à veri Dei cultu alieni, extirpati fuere: vtpote Chanaæi, Philistij, Iebusæi, Hethæi, Hinæi, Pherezæi, & similes: quorum in libris Moysi, Exodo præsertim mentio fit, quibus diuina potestate expulsis, Israëlitæ eam terram forte inter se diuiserunt, iuxta stirpes 12. filiorum Iacob. quorum sedes hæreditatesque præsens tabula manifeste ob oculos ponit, exprimens & viam & mansiones singulas, per quas quadraginta annorum tempore palantes profecti sunt ad hanc occupandam. In quibus identidem Dominum Deum offendentes, tum eius indignationem scelerumq; suorum pœnas, tum infinitam ac immensam clementiam, misericordiam, nec non & potentiam Dei abundè experti sunt. quarum rerum historiam à Moysi descriptam, si quis sedulus cum hac charta seu typicadelineatione contulerit, animaduertet haud mediocriter, ad rerū gestarum, historiarumq; intellectum, ac notitiam prodesse picturas regionum Chonographias. Comprehendit autem Palæstina Syria regiunculas has, Idumæam seu terram Edom, Iudæam, Samariam, & Galilæam. Idumæa itaque Occidentalior totius Palæstinæ pars est secundum littus AEgyptiaci maris, hæc etiā Nabathea dicitur, regio frugum fertilis est. Iudæa autem propriè dicta Mediterranea est inter Samariam & terram Edom. Samaria autē Orientalior Trachonitidem regionem, quæ & Philadelphia dicitur, comprehendit. Deinceps Galilæa ad Syriam Phœnicum excurrit, ex qua Samariæ vicinior est, inferior: qua Phœnicia propinquior, superior vocatur. Recententur autem & aliae nonnullæ minores in Palæstina prouinciæ seu regiuncula: vtpote Chanaæa, Philistinorum & Amoræorum terra, Moabitæ, Ammonitis: quarum omnium situs tabulam intuenti mox obuius fit. Sunt & recentia quædam nomina: Idumæa enim pars Darama inferior nunc appellatur, eiusdem alia portio Gemela regio dicitur. Samariæ autem nonnihil Acerbitena regio, & Trachonitidis Argob regio est. Nunc obiter singularum partium vrbes seu famatiōra oppida videamus. In Idumæa itaq; cuius g̃es statim ab emersu Sirbonis lacus in Occidentem habitat, ciuitates hæ sunt: Azotus portus olim & emporium Palæstinæ, & Philistinoru[m] præcipua vrbs, hac etate Castrum Beroaldi vocatur. Ascalon vel Hibetis oppidum paruum, nunc Scalona corrupte dicitur, potens aliquando Philistinoru[m]

municipium, nunc in exiguum villam reducta. In ea terra olim legē columbis pars sum est, vnde tanta ibi earum copia facta, vt aduenarum ora cicures petierint. vnde Tibullus lib. 1. sic cecinit. *Quid referam ut volitet crebras intacta per vrbes, Alba Palæstino sancta columba viros.* vna erat ex quinque Philistinorum Metropolitanis, vna itidem ex ijs quæ pœnas & indignationem diuinam expertæ sunt, propter raptam Arcam Domini. Gaza quoque quæ & Gazera, mercatu olim floruit. Maresa, Rhinocorura, Raphæa, Berzatma minus nobiles sunt. Iudææ atque adeò totius Orientis longè clarissima vrbs fuit Hierosolyma, prius etiam Luza, Iebus, & Bethel, nec non etiā Helya aliquando dicta. Vrbs ardua, situ, operibus, molibusque adeò firmata, vt vel plano sita, satis munita videri potuisset. Muros non recta ductos, sed reductos in crebros sinus, vt oppugnates è conspectu, & vtrinq; à lateribus vrgeri possent. Turres in æditis locis breuiores, in cōuexis altiores, vt procul intuentibus pares viderentur. Intus cum regia, suis circundata mœnibus, & templo illo ingenti in modū arcis, proprij q; muri labore & opera clauso, clarissimis porticibus & propugnaculo. Templum id Salomon Rex septennio centū quinquaginta millium hominū opere, ad culmen perduxit. Vrbs supra binos colles extracta, quorum iuga cæteris sublimiora erant, inter quos vallis frequentissima Tiropoe dicta, montes eosdem dirimens, quorum altissimus Syon dicitur, ipse in tres colliculos distinctus, quorum primū sacræ literæ 2. Regū cap. 5. Mellen vocat, in quo antiquum castrum Siloë situm erat, id Dauid electis Iebusæis cepit, in eo Arcam Domini reponens, quo loco hac etate Franciscanorum monachorum cœnobium extat. Hinc Orientem versus, alter est collis, inferior ciuitas dictus, vbi ante captum castrum Siloë, regia erat Dauidis. Inde versus Septentrionem tertius occurrit collis, Palatio Herodis insignis. Erantque hæc tria montis iuga proprijs mœnibus cincta, ac ciuitas Dauidis dicta. Mons alter duos colles altius erigebat, quorum prior tum sacrificio Abrahæ, tum præscripto Templo insignis, mōs Moria appellabatur, ad eius radices Salomon Rex absoluto tēplo, regiā suam extruxit, eamque muro cingens, ciuitati Dauid iunxit. Alteri autem Aeræ nomen erat, hīc versus Orientem, Moriam montem respicit, eius pars aliqua Bezetha nominabatur, quod ciuitatem nouam denotat, suo etiam muro clausa: eius insuper Bezethæ pars contra torrentem Cedron, Assyriorum habebat palatum, id suburbium erat itidem muro circundatū. Quinque itaque iam dicti colles, quatuor diuersis muris tanquam mœnibus cincti erant. Circuitus vrbis triginta dicitur fuisse stadiorum, hodie à Barbaris & Turcis *Cuzumoharech* dicitur: ea vrbs à Romanis post excidium sub Vespasiano, Aetia Capitolina vocata. Est deinceps Ioppe, quam Iaffam nunc vocant, & aliquibus Arzupha appellatur. Portum habet ad quem peregrini terra sanctæ loca visuri, primū appellunt. Est eaciuitas præter cætera clara Andromedæ fabula, quam qui volet legat apud Ouidium libro Metamorph. 4. circa finem. Meminit Higinius lib. 2. beluæ, cui dicebatur exposita fuisse Andromeda, ossa Romam apportata ex oppido Iudææ Ioppe, ostendit inter reliqua miracula ædilitate sua Marcus Scaurus, longitudine pedum quadraginta, altitudine costarum Indicos Elephantos excedente, spinæ crassitudine sesquipedali. Est & Cæsarea quæ turris Stratonis alias vocatur, præter alia clara cōuersione Cornelij Centurionis, quem ibi D. Petrus baptizauit, qui & primus in ea vrbe Ecclesiam aperuit, inde etiam Philippus Diaconus & Evangelista oriundus erat. Est verò & altera Cæsarea in superiori Galilæa cognomento gentium, quæ ad differentiam huius Cæsarea Philippi cognominatur, & iam nomine mutato, Balbec dicitur. Nec Bethleem, quæ Ephrata vocatur, prætereunda est, quod in ea nasci dignatus sit Rex Regum & salus Mundi Vnigenitus Dei Filius, Iesus Christus, cuius figuram gerens Dauid rex, & Propheta, ex hac quoque oriundus fuit: ad cuius portam Occidentale cisterna est, cuius aquas bibere desiderabat Dauid, vti legitur 1. Paralipom. 11. Chebron ciuitas est, in qua rex declaratus est Dauid Israëlis. Hæc etiā Cariatarba



## PALAEStINA, SEV TERRA SANCTA.

dicta est, quo loco Iudæi tradunt sepultos esse quatuor præcipuos patres antiquos cum suis vxoribus, Adamum, Abrahamum, Isaacum & Iacobum: Euam, Saram, Rebeccam & Liam. Reliquæ sunt Lydda quæ & Rama, Emaus, nunc Nicopolis: ubi Christus agnitus fuit in fractione panis. Engadda ciuitas prius Asafonthamar vocata, quæ vox palmarū ciuitas interpretatur, quod eius arboris sylvas haberet vicinas: ibi balsamus cultuia erat. In Australi Palæstina sita est Bersabæa ciuitas, inter montes & Ascalonem. deinceps etiæ Macheron potens vrbs, aliæ Hamathontus vocata. Neque silentio prætereunda est Iericho, in qua sola nobilissima balsami herba creuit, à qua vrbs nomen illud est sortita, eius verò plantatio postmodum in AEgyptum translatâ est. Rosæ verò quæ inde ad nos afferuntur, non in eius agro, sed in vicina Arabia crescunt. Samariæ autem ciuitas quidem præcipua & regia est Samaria, & Sichem, quæ & Neapolis: Dinæ filiæ Iacob stupro suaque clade famata. Sunt etiam Capernaum, Betsaida, Corazim & Magdalon Samariæ vrbes. Inferioris Galilææ oppida sunt Naim, ubi Christus viduæ filium à morte resuscitauit. Cana primo Christi miraculo, quo aquam in vinum conuertit, celebris. Nazareth, Gadara, Galilææ cognomento gentium seu superioris vrbes sunt Sidon, Tyrus, Sichor, Ptolemais, Nephtalis, & Rebla, & nonnullæ aliae. Terra omnis montana est, vallibus fertilissimis mixta, obque suam fœcunditatem, terra melle lacteaque fluens dicta est. Ex qua & animarū cibus & arbor vita prodijt. Quocunque tempore cultores huius iusti & in veri Dei cultu perseuerarunt, tellus ipsa singulari fauore Dei Opt. Max. insigniter fertilis, & rerum omnium affluentia diues fuit: quotiescumque verò deserto Deo vero, idolorum cultui se dedidere, nullæ non plagæ obnoxij fuere, quin & fame & siti conficerentur, lepra tum corporum, tum vestium & domorū, hostili gladio, sauisque animalibus subiecti, neque ab villa maledictionum in Deuteronomio cap. 17. minatarū immunes. Quam verò fœcundum habuerit solum, nec gentilibus obscurum fuit, quorum encomia eam in duobus præcipue, reliquis omnibus totius orbis regionibus præferunt, balsamo nimirum & palmis. De Balsamo hæc tradit Plinius. Omnibus odoribus præfertur Balsamum, vni terræ Iudææ cōcessum. Quondam in duobus tantum hortis, vtraque regio creuit. Malleolis seri dicitur, vincitur vt vitis, nec sine adminiculis se sustinet: prope rat nasci, intra tertium annum fructum ferens. Folium proximum ruta, perpetua coma. Inciditur vitro, lapide, osseisue cultellis, ferro laedi vitalia, odit. Incidentis manus libratur, ne quid ultra corticem violet. Succus è plaga manat, quem Opopalsamum vocant, eximiæ suavitatis, sed tenui gutta. Alexandro Magno ibi res gerente, toto die æstiuo vnam concham impleri iustum erat. Præcipua gratia est lachrymæ, secunda semini, tertia cortici, minima ligno. De Palma autem Iudaica hæc sunt verba Pliniij. Sunt Palmæ in Italia sed steriles. Ferunt in maritimis Hispaniæ fructum, verum imitem, dulcem in Africa, sed statim euanescentem. Contra in Oriente ex his vina, gentiumque aliquibus panis, plurimis verò etiam quadrupedum cibus. Hinc Caryotæ fiunt, & cibo quidem & succo vberimæ. Ex quibus præcipua vina orienti, iniqua capiti, & vt copia ibi atque fertilitas, ita nobilitas in Iudæa, nec in tota, sed Hiericunte maximè. Nulla arbor frugifera, nisi in feruida gignitur leui fabulosaque terra, maiore in parte & nitrofa. Coma omnis arboris in cacumine est, & pomum non inter folia, vt in cæteris, sed suos inter ramos palmitibus racemosum. Fluviorum Palæstinam rigantium præcipuus est Iordanis, is in Antilibano monte, duobus fontibus, quorum alteri Ior, alteri Dan nomen est, exortus, medium Iudæam perlabitur, qui vt nominibus, ita aquis iunctus duos lacus facit, primum Genesaram, alterum Tiberiadem, & in Asphaltitem lacum, qui bitumen gignit, & in quo nihil mergitur, atque ob immobilitatem aquarum, Mare mortuum dicitur, sece infundit, in eoque aquas suas laudatas pestilentibus mixtas amittit. Lacus ipse simosus, & aer afflatu ipso æri & argento, terisque omnibus vsque ad aurum, rubiginem inducit, vnde cum vasa squalorem illum contrahunt, iam accolæ intelligut incipere bituminis eruptio nem, ac sece arundineis ratibus, ad id inquirendum accingunt. Lacus

nullum corpus animantis recipit, tauri & camelii in eo fluitant, etiæ homines nati imperiti, vbi ad ilia vsque in eum processerint, attolluntur, nauem quoque non patitur. Si quid viuum aliqua arte immiseric, superexilit. Lucerna ardens supernatat, extincta mergitur. Et quod magis quis miretur, feruntur in eius vicinia herbæ virescentes, vineta vuis onusta, arbores folijs vestitæ, pomaque & fructus in ijs nati, ad maturitatem vsque virere, incisos tamè intus fuliginem nigrum habere, vt mandi non queant. Aquæ eius sunt immobiles, neq; ventis mouentur, resistente turbibibus bitumine, quo aqua stagnatur. Manet lacui terræque illa facies nostra ætate, difficilis tamè peregrinis ad eum accessus, tum propter immanes feras & serpentes, tum propter Beduinos pastores, gentem feram, quæ hæc loca & tota Thraconitidæ vagis domicilijs & latrocinijs infestat. Fuit locus ille aliquando vallis sylvestris, & salinarum cultissimus, adeò vt ob facilitatem conferretur Paradiso Dei. Mansit eius aliqua species apud Ierichuntem Engedi, post Sodomam autem euersam, & vicina loca extinta, mutatus est amoenus ille locus in eam sterilitatem, vt per 8. milliū passuū distantiam à lacu vtraque ripa sentiat afflatū bituminis & sterilitatē. Longo à Hierosolymis recessu campi sunt igne diuino exusti, altisque cineribus terra opplata est. Cæterum lacus ipse nihil gignit præter bitumē. Est autem bitumē illud gleba terrea & vnguosa, quæ calore reliquescit & efflatur, rursusque ab aqua frigida concrescit: concreta fluitat in summo, nec innatate, nec mergi potest, sed attolli. Sunt verò qui hoc gummi seu bitumen referant tantæ esse duritie, vt nec ferro, nec alteri vtcunque duræ materiæ cedat: quare nulla re alia quam vel sanguine menstruo, vel vrina menstruosa dissolui, author est Egesippus. Longitudo lacus putatur esse stadiorum 580. distatque à Hierosolyma stadijs circiter ducentis. Multa in huc vsque diem reperiuntur indicia, diuinæque iræ testimonia per circuitum huius lacus, veteris combustionis, qua tota illa regio interiit, potissimum in petris, quæ alicubi exustæ videntur, & terra cinerulenta, guttae quoque picis ex petris distillantes, & flumina fœtido odore efferuentia, eaque omnia hucusque manent in detestationem immanium scelerum, olim in ea terra commissorum. Sulfure enim, pice & igne è cælo demissis quinque interiore regna, quorū Metropolis fuere Sodoma, Gomorrha, Adama, Seboim & Zoar, vti Genesij 19. & Deuteronomij 29. legitur. Reliqui amnes hanc terræ humectates sunt Iaboc, Chison, Bosor, Sorec, Corseus, Arne, & Rhinocurus. Mōtes autem famosiores habet, Seir Idumææ, Sion, Caluariæ, Silo, Nabo, Phagor, Engedi, Oliuarum &c. Iudææ montes sunt. Abarim autem Moabitidis, Gilboa, Garizim & Gebal. Samariæ, Hermon & Galaad trans Iordanem inter Trachoniticos montes referuntur. Ascaron mōs ad Galilæam inferiorem, Thabor autem manifestatione gloriæ Christi nobilis, Galilææ superioris est. Carmelus autem & Libanus Phœnicia à Galilæa dirimunt. Sylæ montis cedris, abietibus alijsq; arboribus frequentissimæ sunt. Thermæ autem præter piscinam Siloë in Ierusalem existentem, frequetes sunt in Sodomorum agro, vtpote qui locus sulfureis venis scatet, inter cæteras autem Callichœ fons est eximius, quo etiam Herodes sece lauit, quanquam sanitatem non assecutus, Deo scelerum vindice, vim aquarum impediente. Habet & Macheron vrbis ager & mons medicatas aquas, qui nec metalli, nec aluminis sulfurisque minæris destituitur. Terminatur autem Palæstina ab Ortu Libano monte, à Septentrione Phœnicia, ab Occasu Mediterraeno seu Syriaco pelago, à Meridie Arabia Petrea. Regio longior quam latior, longitudinem habet milliariorum circiter Germanicorum 40. nonnulli tamen 24. tantū ponunt à Iordanis scilicet origine vsque ad Bersabram, quæ Idumææ contermina est. Latitudo verò supputatur à Mediterraeno mari vsque ad Iordanem milliariorum Germanicorum 11. etiamsi quædam Tribus mansiones suas ultra Iordanem sortitæ sint, quod tabulam intuenti facile patescat. Meridianus eam medianum secans longitudinis gradus continet 66. parallellus autem eius medius longitudinis gradus habet 32. climati itaque quarto subiacet inter nonū & decimū parallellos. Diem artificiale prolixiorum experitur horarum plus minus 14.

NATOLIA,  
SE V  
IMPERIVM TVRCICVM, CON-  
tinens Asiaticam Graciam, Chersonesum  
quondam dictam.

**P**resentem tabulam, quoniam multo maximam eius terrae partem visendā exhibet, quæ immani Mahometistarum furia, latrocinij, incursionibusque nefandæ eius gentis fatigata, hac nostra ætate eiusdem tyrannidi subest, Turcicum Imperiū nō abs re appellauimus: cuius descriptio nem (cùm ingens terræ spaciū complectatur, gentesque plurimum inter se dissidentes) hīc exequi nō patitur chartæ angustia, neque etiam dominiorum imperiorumque hittoriam texere noītri eit instituti: sed qualicunque cuiusque tabule graphica delineatione contenti, eius situm, habitudinem ac qualitatē conāmur succinētē tradere. At quandoquidem pleraque huius pars Græcia debetur, nosque in Græcia enarratione, duplēcē eam dixerimus: Europæam scilicet & Asiaticam, ac tūn quidem Europæam tantum, quasi perfundōriē per strinxerimus, nunc ad alteram (quæ, quod inter tria maria, Euxinum pontum, Aegæum Archipelagum & Pamphilum, seu Mediterraneanum mare inclusa, vno saltem latere aperta conspiciatur, Chersonesus à nonnullis appellata videtur) obiter recensendam nos conferemus, aut eo etiam quid amplius (siquidem loci ferat angustia prouehamur ad Euphratis vsque fluuij ripam. Id itaque omne quicquid est aquæ inter præscriptos modò limites, in Orientē ad vsque præfati amnis alueum procurrens, vno generali que nomine hodie à barbaris Natolia dicitur, quæ vox terram Orientalem eorum lingua denotat. Provincias in se complectit maiores octo, quarum quæ Propontidi proxima est Pontus & Bithynia Geographis vocatur, huic quæ versus Occidentem proxima est, iuxta maris Aegæi latus Asia minor seu propriè sic dicta nun cupatur, cui inter Meridiem & Ortum Lycia adhæret, quæ hūc sequitur secus Mediterranei maris littus, Pamphilia appellatur, mari vicino nomen communicans suum. A qua vterius in Ortum quæ excurrit prouincia ad Pylas, portasue Amanicas dictas, Cilicia est, inter Ortum & Boream contiguam habens Minorem Armeniam. Illi quæ ab Occasu contigua est Cappadocia, quæ huic ex eadē plaga annexa est, Galatia nominatur, quas singulas iam quo dicto sunt ordine resumentes, paucis tractabimus, dynastias minores, gentes earundem, vrbes præcipuas, fluvios, montesque, ac si quæ sunt alia eius generis superficie tenus enarrantes. Neque tamen illud hīc silentio prætereundum puto, quod à nonnullis omnes iam nominatæ prouinciae sub minoris Asia nomine intelligi soleant, quemadmodum & sub Natolia vocabulo comprehenduntur: verum quoniam Ptolemaeus Asiam propriè sic dictam separatim ac contraria libris limitibus designat, nos illum sequentes eam secundo collocauimus loco. Bithynia itaque, vt ab hac auspicemur, cui iuncta est Pontus olim & Bebrycia & Mgodonia vocata, vel à Bithyno rege Louis & Thracis filio, vti aliquibus placet, vel à Bithyno Thraciæ fluvio nomen adepta, cuius accolæ fame pressi, relicto solo patrio, in hunc se locum receperunt, eumque in memoriam patriæ terræ, eius præcipui fluij nomine donarunt. Romea etiā nomen aliquando cum Galatia & Cappadocia commune habuit, hodie regnū Bursæ vocatur, à Prussa seu Bursa cognomini vrbe, Othomannoru olim sede Regia, ybi etiamnum Satrapa totius Natoliæ, quos ipsi Bascha vocant, sedēm habet. Regiones in hac particulares sunt, Chalcedonia, Timonitis, & Bogdunia. populi autem multi & diuites olim, nunc minus frequentes sunt, Mariandini, Cyclones & Ziganii dicebantur. Florebat aliquando vrribus plurimis, quæ hac nostra ætate, partim, quod tum hæc, tum vicina illi minor Asia terræmotibus mirum in modū obnoxia sit, partim etiam quod tyrannide, furoreque Turcarum multæ earum dirutæ, excisæ sint, multo pauciores extant. In Mariandinis Bithynia ciuitas aliquando fuit eiusdem cum regione nominis Claudiopolis deinceps dicta, vbi Diuus Lucas Euangeliū suum & Apostolorū acta conscripsit. Vbi Ponto committitur Bosphorus Chalcedon antiqua ciuitas, posita est è regione Bizantij, nunc Scutari à Turcis dicta, antiqui splendoris ac gloriæ parum habens. Ibi anno salutis 455. sub Martiano Imperatore Concilium quartum generale celebratum est. Nicæa totius Provinciæ Metropolis aliquando fuit, ob sui magnificentiam, magnitudinem & fertilitatem: eius ambitus stadiorum 36. fuit forma quadrata in campi planicie sita, singulis lateribus singulæ portæ erant è regione opposita, vt ab una per ciuitatis medium ad oppositum prospectus pataret. In medio autem vrbis stanti omnes quatuor portæ in conspectu erant. In hac iubente Constantino Magno famosa illa synodus Anno Christi 124. celebrata est, Episcoporum 38. & perfidū Arrij dogma recisum. Post id aliud ibidem celebratum, vbi Nicænum Symbolum compositum. Post hunc est Libyssa ciuitas, Hannibalis tumulo clara, & deinceps est Prussa seu Bursa, cuius modò mem' nimis, Emporium totius penè minoris Asiae seu Natoliæ celeberrimum. Nicomedia præter nomen vetus & castrū nihil retinuit, penitus eversa, demolitaq; est.

Heraclea Pontica, nunc Penderachia, & Pendea simpliciter nonnullis dicitur. Fluuij Pontum & Bithyniam rigantes sunt Amastris, Elata, Hippius, Sangarius nunc Zagari regionē secans mediam, Calpa, Psyllis, Ascanius qui Ascanium lacum efficit, cuius vnda in superficie sapida ac gustui idonea, in imo autem fundo amara, aluminis & salis nutrita sapore præ se fert. Rhindacus amnis nunc Lartacus dicitur. Regionē hi reddunt fertilissimam ac pascuis abundantem, aer tamē haud usque laudabilis. Est insuper Pontus tum aconiti, tum aliarum perniciosarum herbarū ferax, quapropter & fauum ibi vitiosum ac veneno infectum colligunt apes. Montes habet famosiores Horminum, & Myrium, qui & Olympus, diuersus ab illis, quos tum alibi, tum maximè in Thessalia esse diximus. Minera huius tractus præter auripigmentū & arsenicum sunt æris & cupri, iuxta Chalcedonem vrbe, quamuis hodie non apereantur. Fertur etiam Smaragdis locus abundare, sed haud nobilibus. Termini huius Provinciæ sunt ab Occasu quidē Thracius, Bosphorus & Propontidis pars, à Septentrione Pontus Euxinus, nunc mare majus, ab Ortu Galatia, à Meridie regio quæ propriè Asia dicitur. Est autem Asia propriè dicta seu minor, quæ nunc quidem Turcia magna appellatur, terra quæ secundum Helleponitū, Aegæum, & Icarium mare, & Myrtoum pelagus ad Rhodium usque mare extendit, in quo tractu ab antiquis Geographis populi commemorantur Olympini, Trimenothyr Rita, Pentodemita, Mysomacedones, Erigeli Mæoniæ, Lycaones, Themisoni, Moccadyni, Cydenses, Pelteni, Moxi ani, Phylacefij, quorum sedes ex Ptolemaeo haud difficilè colliget qui volet. Continet autem dynastias prouinciasque minores complures: Mysias duas, Aeolida, Phrygiam itidem maiorem & minorem, quæ & Troas regio, Mæoniam, Lydiam, Ioniam, Cariam, & Doridem. Initio itaque post Bythinia limites apud Helleponitū duæ sunt Myxæ: Minor quæ Occidentalior est, & Maior quæ Orientalior, intercedit autē Rhindacus flu. In his olim multæ celebres exitere ciuitates, Scepsis, Adramytium, Appollonia, Traianopolis, & Pergamus. Inde versus Austrum Phrygia est, quæ & Troas & Dardania olim dicta est, quondam sub Aeolia contenta. Est autem & hæc duplex, Minor & Occidentalior, in qua Ilium seu Troia excidio suo ac decennali bello famatum. Maior autem quæ à Septentrione Gallatiam, à Meridie Lycaoniam, Pisidiam, Mygdoniamque conterminas habet. Ciuitates continet Salam, Sam, Apamiam, Cibotim, Hierapolim, Metropolim. Deinceps magis in Austrum sequitur Lydia, Asia minoris prouincia fertilissima, vini generosissimi, mellis, crociique prouentu uberrimo gaudens, flexuolis Meandri recursibus rigata, eius præcipua ciuitas olim Sardis suo regeditissimo Cræso celebris. Est & Philadelphia insignis eius ciuitas, multæ insuper aliæ aut terræmotu absorptæ, aut Turcarū furia excise. Huic iuxta Icariam Insulam Ionia subiacet, in qua Ephesus clara potissimum ciuitas, Diana aliquando templo famatissima. Post hunc iterū versus Meridiem est Cariæ, in qua Heraclea, & Niletus insignes vrbes, eiisque per Isthmum adhæret Doris Peninsula, in qua Halicarnassus quondam metropolis, cuius loco hodie successit munitissima arx, Rhodianorum militum contra Turcam propugnaculum. Habet & alias nobiles ciuitates: vti sunt Træzene, Nysa, Laodicæa & Antiochia. Et autem vniuersa quidem minor Asia terræmotibus admodū obnoxia. Vnde Imperante Tyberio Cæsare, tempore Passionis Christi Salvatoris nostri, ciuitates in ea 12. vna nocte concidisse terræmotu author est Plinius lib. 2. Fluuij Asiam minorē humectantes sunt Rhindacus, qui ex Thymno monte per Mysiam delatus in Propontidem fertur. Esepus, Grennius qui nunc Lazarus, Symoen, & Scamandrus ex Ida monte per Phrygiam minorem delapsi, in Helleponitū vergunt, Cecius, Hermus & Pactolus Lydiam peragrantes, tandem in Aegæum mare exēunt. Caistrus, Ioniam, Meandrus cum Lyco Cariam rigatæ, in Icarium Myrtoumque pelagus exoneratur. Montes harū regionum præcipui sunt, Phrygia quidem Ida, Troadis Cimus, Myxæ minoris Timus, Myxæ maioris Dindymi, Mæoniæ Sipylus, Lydiæ Tmolus, Mesotes & Mymas, Ionæ Mycale, Cariæ Cadmus & Phoenix. Terminatur autem regio quæ propriè Asia dicitur, à Septentrione Bithynia, ab Occasu Propontide Helleponito ac Aegæo mari, quod ijs in locis Icarium ac Myrtoum dicitur, à Meridie habet Rhodiense pelagus, ab Ortu Lyciam, Pamphyliam ac Gallatiam.

Lycia modò sequitur sic dicta à Lyco Pandionis Atheniensium regis filio, qui ab Egeo fratre suo regno pulsus, huc ad Sarpedonē regem confugit, post quem ipse regnum obtinuit, suoque nomine impertivit: cùm & Mynia & Termilyia prius diceretur. Eius populi fuere Tremyli & Solymi. Praefecturæ autem seu minores regiones Mylias & Cabalia. Celebrata fuit olim præter sex quas continebat Metropolitanas vrbes 60. magnificis oppidis & ciuitatibus, in minorem numerum eæ contractæ